

nifestaverint? difficilis esset responsio, nisi ipse Salvator eandem dedisset. *Joh. XIV. 8.* Philippus dixit ad Christum, *ostende nobis Patrem & sufficit nobis.* respondit ipsi Jesus: *Tantum tempus vobiscum sum, & non cognovisti me, Philippe, videns me, vidit etiam Patrem.* Mens Salvatoris est, qui Dei Filium oculis spiritualibus cognovit, cognovit etiam Patrem, quia essentia unum sunt *Joh. X.* imo qui cognovit Filium, cognovit & Patrem, & Spiritum S. qui tres unum sunt *I. Joh. V.* Uti Philippus oculis corporeis vidit Dei Filium incarnatum, & ex ejus doctrina, & miraculis naturam ejus divinam, quæ & Patris & Spiritus S. natura est, intellectu spirituali intelligere potuit; sic quoque Esaias, qui Filium Dei in forma humana vidit, ejusque naturam divinam cognovit; & Patrem & Spiritum S. mente divino lumine collustrata intellexit. *Optime B. Gerhard. Harmon. ad locum Johannis pag. 418.* Ergo primario & principaliter non loquitur de visione corporali, quia Deus incorporeus est & invisibilis, nec de visione intellectuali, quæ naturali ratione comparari potest, quia naturali intelligentia ad salutarem Filii cognitionem penetrare nemo potest, sed de visione spirituali, sive cognitione fidei, quæ ex verbis revelatione oritur, juxta quam, qui Filium videt, id est, cognoscit & in ipsum credit, is etiam Patrem videt, id est cognoscit & in ipsum credit, quia Patris & Filii est una natura & essentia: Et post pauca: *Ideo Christus ipsum informans, a visione corporali ad spiritualement ipsum revocat, dicens: Qui vidit me, vidit Patrem, & quomodo tu dicis, ostende nobis Patrem? Si is qui me vidit, etiam Patrem vidit, non est, quod Patrem tibi ostendi petas, quia eum in me vidisti. Non est quod cogites, Patrem a me separatam instar terreni alicujus ac corporei Regis in vestitu gemmis & auro intertexto regali alicui throno corporeo insidere, & corporalibus oculis videri posse? in me tum ipsius æterna divinitas & Majestas, tum benignissima ejus*
erga